



P R A E F A T I O

Ametsi causæ mihi fuerint plures ut ab ulteriore Observationum continuatione desisterem ; permotus tamen sum, non adeo voluptate mea, quam rogatu amicorum quorundam, ut, quæ habebam parata, & quæ plura vel ex auscultatione, vel meditatione propria essent observanda, in ordinem redigerem, atque ita Tertium hunc Librum Observationum componerem, ne priores numero veluti rescisso & imperfecto constarent, sed totum opus numero rotundo CCC. absolveretur.

Terminum vero mihi hic posui scriptoris, neque præter ea quæ edita sunt, ulteriora expectare amicos volo, cum vitæ

): (2 meæ,

PRÆFATIO.

meæ, quod reliquum erit, tempus, ad alias
me vocet cogitationes. Quæ vero de fo-
rensisibus rebus Judicij Imperialis literis con-
signari poterunt atque edi futuro tempore,
(est enim hujus studii materia frequens &
fere quotidiana, neque ego ea sum vanitate
ut existimem exhausta nunc esse omnia, ni-
hilque amplius, vel etiam melius, proferri
posse) hæc aliis relinquo Dominis, quo-
rum facultatem meâ præstantiorem vene-
ror, voluntatem exopto.

Nihil autem magnopere præfandum
amplius habeo, cum in Epistola Dedica-
toria Libro Primo Observationum præmis-
sa omnia quæ etiam ad præsentem faciunt
Librum, dicere occupaverim.

Addere poteram nonnulla ad Obser-
vationes facientia, de Sententiarum Came-
ralium formulis quibusdam, in quibus lo-
cationes videri possent supervacuæ, iis
cumprimis, qui fori tantum sui stylo ope-
ram

PRÆFATIO.

ram dederunt. Habet enim unumquodque fere Judicium formulas peculiares, interdum satis ambiguas. Hæc tamen res opus habet expositione & meditatione prolixiore. De Sententiarum Cameralium stylo, quæ sufficere possunt, dixi in Præfatione ad Collectionem editam Francofurti Anno MDCCXV. De ipso etiam modo referendi, dictum alibi satis. *

Porro in mentem veniebant aliqua, de Juramentorum, quibus à calumnia purgare se solent litigantes, frequentia, forte moderanda, sed memini quod ea de re cogitationes meas protulerim alio loco. **

Tandem occurrerant dicenda de formulis postulationum sive Recessuum, qui-

) : (3)

bus

* Commentat. Systemat. scđ. II. §. 5. & in Notulis zum gründlichen Unterricht vom Unterschied der beyden Höchsten Reichs-Gerichter pag. 112. adde Volum. I. Præfat. ad Symphorem. Consultat. Forens. in fine.

** Commentat. Systemat. scđ. I. §. 6. scđ. II. §. 6. num. 52. & ad Magenhorst. Observat. II. XVI. & in Observat. Forens. Observat. CCXCVII. Num. XIII.

PRÆFATI^O.

bus publice & viva voce causarum Patroni utuntur. Ex his sunt aliquæ Legibus præscriptæ, reliquæ arbitrariæ, & in his permultæ consuetudine magis & imitatione aliorum introductæ, quam utiles, moderandæ potius quam retinendæ, quia sunt absque ulla vi & effectu. Verum hanc rem aliorum correctioni relinquere volo.

Unum hic addo, quod in Observatiōnibus nonnullis earumque illustrationibus nomina personarum sint indicata, factum id esse non solum ratione ea, quod aliās Observatio ipsa fuisset obscurior, neque tantæ dignitatis, quantam esse cognoscitur ex circumstantiis: Sed etiam, quod nihil referre putaverim, fuerintne publice nota personarum nomina, postquam litigantes ipsi causarum merita in Facti Speciebus passim distributis ediderint, ex quibus etiam solis desuīsi Observationibus quibusdam annexa Documenta: eorumque fidei tanto plus

PRÆFATIÖ.

plus tribuendum fuit , si ab utraque parte
codem tenore fuere publicata.

De Fasciculis duobus Adjunctorum
sciendum est : Primum , quo continetur
Sententiarum selectarum Continuatio , Ob-
servationum ulteriorum loco haberi posse ,
quod facile perspiciet qui Rubricas opera
non perfunctoria compositas pensitare vo-
luerit . Eadem ratio fuit Collectionis præ-
cedentis adjunctæ Parti Secundæ .

Alterum vero , Documentorum , ad il-
lustrandas Observationes in primis facere .
Ad quam unumquodque referri queat , hoc
relinquendum putavi meditationi Lecto-
rum .

Tandem ut Operi huic accederet Col-
lectio Statutorum breviorum , quorum edi-
tiones factæ sunt rariores , suaserunt Do-
mini Collegæ mei & Amici . Cui rei cum
operam dedissem sedulo , & ultra anni spa-
tium labor typographiæ Wetzlariensis
mo-

PRÆFATI^O.

moram traheret, factum est, ut Statutum
Ducatus Franconiæ, quod in primis erat
quæsitum, alibi recuderetur, neque tamen
retrahi potuerit labor hic incoepus.

Reliqua ad studium rei Statutariæ per-
tinentia, cum recensione eorum quæ sunt
edita, quæve in manuscriptis asservantur,
& quæ ad suppellec^tilem meam librariam
sunt collecta, exposui in Præfatione
peculiari Collectioni præ-
missa.

SOLI DEO GLORIA.



SERIES